



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Quæstio I. Quid sit Fides, & quod objectum ejus?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

DISTINCTIO II.

De Fide.

QUÆSTIO I.

Quid sit Fides, & quod objectum ejus?

Fidei no-
men variè
accipitur,

1. **S**Tylo receptissimo inter Virtutes Theologicas primo loco sponitur Fides, non quòd ea sit dignior cæteris, sed quia, ut inquit Concilium Trid. Sess. 6. cap. 8. *Fides est humane salutis initium fundamentum, & radix omnis justificationis*: quod intelligendum de Fide supernaturali, & Theologica. Siquidem generatim Fidei nomen variè sumitur, quandoque pro fidelitate, seu veritate in servandis promissis: in quo sensu is dicitur servare fidem, qui stat suis promissis. Deinde, pro conscientia, seu dictamine ejus: sic accipitur Rom. 14. *Omne quod non est ex fide* (id est, quod est contra dictamen conscientie) *peccatum est*. Quo modo etiam in Jure dicitur quis bonæ fidei possessor, qui bonâ conscientia quidpiam possidet, credens illud esse suum. Tertiò, Fides quandoque sumitur pro fiducia consequendi rem desideratam, aut promissam: prout accipitur Matth. 14. *Modica fidei, quare dubitasti?* Et Jacobi cap. 1. *Postulet autem in fide nihil habitans*. Quamvis hunc locum multi Doctores non absque fundamento accipiant de ipso actu Fidei Theologicæ, seu assensu credulitatis Divinarum promissionum, cujus effectus est prædicta fiducia, juxta illud Marci cap. 11. *Omnia, quacunque petitis, credite quia accipietis*.

Aliæ Fidei
accepciones,

2. Rursus aliquando Fides accipitur pro objecto fidei, juxta illud Symboli S. Athanasii: *Hæc est fides Catholica*, id est, articuli Fidei Catholicæ, seu objecta materialia ejus. Ultimò tandem, & propriè, ac quantum ad propositum, accipitur Fides pro Virtute intellectuali, & quidem Theologica, qua creditur aliquid propter authoritatem Dei illud revelantis. Et dicitur, *propter authoritatem DEI*: non enim hic loquimur de Fide humana, qua aliquid creditur propter authoritatem hominum illud affirmantium; sed sermo est solummodò de Fide Divina, de qua Apostolus

Paulus ad Hebræ. 10. dicit: *Justus ex fide vivit.* His prænotatis sic

3. CONCL. I. *Fides supernaturalis actualis* est actus supernaturalis, quo quis assentitur alicui propositioni ex eo, quia DEUS ipsam revelavit. Ita in re communis. Siquidem motivum dei actualis est veracitas DEI, quidpiam nobis revelantis: nam quia DEUS, qui nec fallere potest, nec falli, hoc aut illud hominibus revelare dignatus est, hinc fide Divinâ credimus, illud esse verum.

4. CONCL. II. *Fides supernaturalis habitualis* est virtus divinis nobis infusa, & donum DEI, quo firmiter assentimur iis omnibus, quæ à DEO nobis revelata sunt, quatenus sunt revelata. Ita communis Doctorum. Neque enim differt hæc definitio ab ea, quam affert S. Paulus Apostolus ad Hebræ. 11. dicens: *Est autem fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Nam *ly, argumentum non apparentium*, indicat totam naturam Fidei in data definitione clariùs explicatam: *argumentum enim idem est, ac firma adhæsiō intellectus*: *ly, non apparentium* denotat, quod talis firma & infallibilis adhæsiō intellectus nitatur certitudini revelationis Divinæ, factæ de iis, quæ quidem nondum videmus, speramus tamen consequi in cælis. Unde additur, *sperandarum substantia rerum*: quibus verbis partim nobis indicatur primarium objectum Fidei, quî est DEUS, quémque piè vivendo in cælis consequi speramus: partim verò manifestatur quædam Fidei proprietas, utpote quæ debet esse certa & infallibilis, unde appellatur *substantia*: simulque est fulcrum Spei Christianæ, nam quæ speramus, fide Divinâ fiunt nobis certa.

5. CONCL. III. Objectum materiale primarium incompletum Fidei, est solus DEUS; quamvis omnes aliæ à DEO nobis revelatæ propositiones spectent ad objectum materiale, tamen principale, & complexum fidei Divinæ. Ita rursus Theologi communiter. Ratio primæ partis est: quia, ut inquit D. Augustinus lib. 4. de Civitate DEI, cap. 20. *Fidei præcipuum officium est, ut credatur in verum DEUM.* Accedit, quod inter omnia credibilia omnium maximum, atque præstantissimum, sit ipsemet DEUS; utpote qui est Ens infinitum, & summè bonum, & ad cujus cognitionem omnia cætera credibilia referuntur: atqui hoc intelligitur per objectum primarium materiale Fidei; ergo. Hinc in Symbolo Apostolorum mox à principio dicitur: *Credo*

in DEUM. &c. & postmodum pro clariori ejus cognitione ceteri Articuli subjunguntur.

Obiectum
Fidei com-
plexum, &
incomple-
xum, quid?

6. Altera pars ex eo patet: quia per obiectum materiale Fidei intelligitur illud, quod est credendum fide Divinâ, præsertim quando per auctoritatem Ecclesiæ nobis constat de tali revelatione à Deo facta; ergo etiam omne istud spectat ad obiectum materiale. Et additur, *complexum*: nam per *Obiectum Fidei complexum* intelligitur tota propositio obiectiva divinitus revelata, cui assentimur mediante actu Fidei: per *incomplexum* verò intelligitur subjectum, & prædicatum talis propositionis divinitus revelatæ.

Corollaria.

7. Infertur proinde, quòd ad obiectum materiale Fidei spectet imprimis Deus, ejusque existentia, & Mysterium SS. Trinitatis. Deinde creatio Mundi, & Redemptio generis humani per Christum facta. Insuper quicquid in S. Scriptura, seu Libris Canonicis continetur: nam quamvis eorum aliqua parum videantur ad DEI cognitionem facere, ut, quòd canis Tobix caudam moverit, quòd Saul quæsierit asinas, & hujusmodi; nihilominus quia & hæc à Spiritu S. in Sacris Litteris nobis sunt revelatæ, pertinent ad obiectum materiale, minùs tamen principale Fidei, sùntque credenda propter auctoritatem Divinæ veritatis, ac revelationis. Insuper spectant ad obiectum materiale Fidei ea, quæ ex Traditione Apostolica nobis Ecclesia proponit credenda, ut dicitur inferius. (a)

(a) *Dist. 3.*
quest. 5.
Obiectum
formale Fi-
dei, est vera-
tas Dei.

8. CONCL. IV. Obiectum formale & motivum Fidei supernaturalis, est prima & infallibilis veracitas Dei, seu veritas ejus in revelando. Ita Doctor Subtilis *Quest. 1. Prologi*, cum Scotistis, & multis aliis. Ratio est: quia ideò credimus fide Divinâ articulis Fidei, quia Deus eos nobis revelavit; & ideò credimus Deo revelanti, quia est prima veracitas: ergo veracitas Dei revelantis est ratio motiva fidei Divinæ, & consequenter ejus obiectum formale.

Plebei, quo-
modo cie-
dant ob
pe. positio-
nem Con-
cionatoris?

9. Nec dicas. Plurimi de plebe credunt articulis Fidei, non ex motivo veritatis DEI revelantis, sed ob propositionem Concionatoris, vel Ecclesiæ Catholicæ: atqui hi eliciunt veros actus fidei Divinæ; ergo. Respondetur enim, distinguendo majorem: credunt articulis Fidei, ob solam propositionem Concionatoris, aut Ecclesiæ, negatur; credunt ob hanc, & simul implicitè apprehensam revelationem veracissimam DEI, conceditur major:

major: & eodem modo distinctâ minori, negatur consequentia. Siquidem dum homines simpliciores credunt articulis Fidei, sibi per Concionatores atque Ecclesiam propositis, simul apprehendunt, id à Deo fuisse revelatum, ob cujus infallibilem veracitatem credunt auditis, ac propositis sibi per Ecclesiam & Concionatores. Nam, ut dicitur Rom. 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* Et 1. Thesl. 2. *Quoniam cum accepissetis à nobis verbum auditus DEI, accepistis illud non ut verbum hominum, sed, sicut est verè, verbum DEI.* Occasione cujus proinde

10. Queritur, quomodo sit intelligendum illud dictum S. Augustini lib. contra epist. Fundamenti, cap. 5. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas.* Unde est communis praxis Fidelium, qui credunt, quidquid sancta Mater Ecclesia credendum proponit? Resp. hoc ex eo fieri, non quòd Ecclesiae auctoritas sit objectum formale Fidei, seu ratio motiva credendi (hæc enim est sola veracitas DEI, quidpiam revelantis) sed quia Ecclesiae auctoritas est ratio nobis proponens, seu ostendens objecta credendi. Nam per Ecclesiam proponuntur, ac exhibentur nobis illi Articuli, qui sunt credendi; atque per ipsam sive Libri Canonici Sacrae Scripturae, sive Traditiones Apostolicae determinantur, atque declarantur, quòd sint à Deo revelati, & à Spiritu sancto dictati, vel à Christo & tenebris Apostolis traditi, atque per Apostolos posteris: sicque fit, quòd hi potius, quàm alii per Hæreticos, vel apocryphos Libros jactitati, propter infallibilem veracitatem DEI fide Divinâ sint à Fidelibus credendi. Quia igitur Spiritus sanctus in negotio tanti momenti non sinit Ecclesiam, dilectam suam Sponsam, errare, securissimè, & absque ullo erroris periculo creduntur propter DEI veracitatem, & fide Divinâ omnia ea, quæcunque Ecclesia nobis sic credenda proponit. Et hoc innuunt citata S. Augustini verba: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia commoveret auctoritas: prout clarè indicat Iy, commoveret.*

Evangelio non crederem, nisi me Catholica Ecclesia commoveret auctoritas, quomodo intelligendum?

QUÆSTIO II.

Quænam puncta Fidei sint necessariò explicitè credenda?

11. **A**dvertendum cum communi Doctorum, dupliciter nos posse credere Articulis Fidei, nimirum explicitè, & implicitè, & implicitè. *Credere explicitè idem est, quod distinctè & in implicitè, par. quid?*

L 2